

omnino potestatem peccandi, non satis est in eo eventu auferre concursum ad actum malum voluntatis, sed etiam oportet non concurrere cum intellectu pro tunc ad habendam in intellectu advertentiam necessariam ad illum modum voluntarii. Respondeo, etiamsi totum concedatur, nullum esse inconveniens, nam illud esset sufficiens ad dandum perseverantiæ donum de quo agimus. Nec fortasse est alienum a communi usu providentiæ; nam sic Deus interdum dat justo donum perseverantiæ rapiendo illum ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus, vel faciendo ut hic et nunc de præsentanea obligatione affirmativi præcepti non constet, neque illa offeratur menti ejus. Addo vero ulterius mihi esse valde probabile illud voluntarium indirectum et pure negativum non sufficere ad peccandum saltem mortaliter, quia non videtur in eo esse perfecta deliberatio ad peccatum mortale necessaria. Est autem hoc longe certius, facta illa hypothesi, quod Deus denegavit voluntati concursum ad eliciendum actum malum; nam illud voluntarium indirectum non est sufficiens ad peccandum, nisi in quantum virtute includit directum; qui ergo non potest directe velle omittere, jam non indirecte potest voluntarie omittere; quia hoc voluntarium fundatur suo modo in potestate directe volendi illud idem objectum, quod dicitur esse indirecte voluntarium. Atque hæc sint satis pro quæstione de possibili, quæ ad alias Theologicas materias possunt (ut existimo) deservire.

*Non est improbabile aliquos puros homines ita confirmari in gratia, ut non solum nunquam peccent, verum neque etiam absolute peccare possint.*—Secundo, pro quæstione de facto, assero non esse impossibile aliquos puros homines vel pro toto, vel pro aliquo tempore vitæ, usque ad mortem ita confirmari in gratia, ut non solum illo tempore infallibiliter nunquam peccent, verum etiam neque absolute peccare possint. Hanc assertionem suadet auctoritas illorum Doctorum quos pro ea retulimus, præsertim cum nulla non solum infallibilis, verum major auctoritas expresse refragetur. Deinde ostensum est hoc donum cum necessitate non peccandi, seu cum impossibilitate peccandi, non impedire quominus præceptorum observatio in particulari semper libere fiat, ac proinde tale donum non tollere libertatem necessariam ad meritum. Certius autem est non tollere gratiam, sed augere potius dona illius; ergo

non habet illa sententia repugnantiam cum aliquo vero dogmate fidei, et commendat liberalitatem Dei circa eos quos gratis voluit singulariter diligere, et auget veritatem donorum gratiæ; quid ergo est cur illa opinio improbabilis censi debeat? Ad hæc certum est aliquos homines fuisse singulariter confirmatos in gratia, ut Beatissimam Virginem, Joannem Baptistam, Apostolos; aliquod ergo majus donum præservans a peccato mortali acceperunt quam reliqui, qui in gratia non confirmantur, quamvis cum effectu in ea perseverent usque ad mortem; in quo ergo potest ille excessus consistere, nisi in hoc quod hi accipiunt gratiam non peccandi, licet habeant potestatem peccandi pro toto tempore quo in gratia perseverant; illi vero etiam ipsa potestate peccandi privantur pro eo tempore quo in gratia confirmantur? Respondent aliqui confirmatos solum in hoc excedere quod habuerunt revelationem suæ perseverantiæ. Sed hoc gratis dicitur; unde enim constat omnes Apostolos vel Joannem Baptistam habuisse hanc revelationem? nam et ipse Paulus, licet interdum videatur loqui tanquam certus de sua perseverantia, ut ad Roman. octavo: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Et infra: *Certus sum enim quod neque mors, neque vita, etc., neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro;* sive enim hunc solum interpretemur de charitate, quam Paulus ad Deum et Christum habebat, ut Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus et alii communiter ibi exponunt, sive de charitate Dei erga Paulum, ut moderni communiter exponunt; tamen quod ad præsens attinet, ad idem redit; et indicat Paulus per illa verba se fuisse certum de sua prædestinatione et perseverantia. Quanquam hoc (inquam) ita sit, nihilominus aliis locis Paulus ostendit se dubium et incertum de sua perseverantia, ut prima ad Corinth. nono: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Unde in priori loco illa interrogatio: *Quis nos separabit?* intelligi potest facta, non ex certitudine intellectus, sed ex fervore charitatis et firmitate propositi, ut Chrysostomus et Hieronymus exponunt; et quod subjungit: *Certus sum,* perinde dici potuit ac: *Veementer confido;* nam per hoc verbum interpretatur illud Hieronymus in epistol. 151 ad Algasiam, quæstion. nona, dum sic legit: *Confido autem quod neque mors, neque vita.*

Et quamvis loquatur de certitudine intellectus, non videtur loqui de se in particulari, sed in communi de electis et prædestinatis, ut Ambrosius et Anselmus adnotarunt. Quod autem prædestinati non possint separari a charitate Dei, supposita eorum electione, non est certum ex particulari revelatione, sed ex Catholica fide, qua credimus propositum absolutum Dei et esse efficax et immutabile. Unde Toletus ibi ita exponit: *Certus (inquit) sum, indubitatio nulla mihi est, quia fides me ita docet nullam creaturam separare posse electos a dilectione, qua Deus eos diligit in Christo, et per Christum Dominum nostrum.* Quod autem Paulus seipsum inter electos numerare videatur, cum dicit: *Quis nos separabit,* et cum concludit: *Poterit nos separare, etc.,* communis quidem modus loquendi est, et fundari optime potest in spe certa absque speciali revelatione. Non ergo constat de tali revelatione. Et quamvis de Paulo constaret, non idem necessario infertur de omnibus Apostolis. Et licet forte Apostoli omnes illam habuerint propter singularem prærogativam et primitias spiritus, non inde fit omnes confirmatos in gratia illam habuisse; credibile autem est non solos Apostolos, sed etiam alios singulariter Sanctos accepisse hoc donum, vel pro aliquo tempore vitæ, quo eximia sanctitate claruerunt, ut Beatus Franciscus, Dominicus, Benedictus, etc., vel etiam aliqui pro tempore, in quo immunes a peccato mortali conservati sunt, ut de B. Thoma et nonnullis aliis legitur. Denique revelatio valde extrinseca est ad propria auxilia gratiæ, ad quæ pertinet confirmatio vel perseverantia in gratia; imo, si recte expendatur, revelatio, si est de confirmatione in gratia, supponit illam; si vero est de sola perseverantia, non immutat neque auget donum illud. Ergo quod attinet ad perseverantiæ donum, nulla relinquatur differentia inter confirmatos in gratia et perseverantes sine confirmatione.

*Impeccabilitas Beatissimæ Virginis.*—Denique de Beatissima Virgine ego non dubito quin impeccabilitatem illam participaverit ex gratia Dei, ut cum multis auctoribus dixi in secundo tomo, tertia parte, disputatione quarta, sectione quarta, quamvis in eo loco non satis distinxerim hanc impotentiam peccandi a sola infallibilitate non peccandi. Est ergo satis pium et credibile statuere Deum nec dare neque offerre Virgini concursum ad actum malum, semperque illam ita præve-

nisse ad observantiam præceptorum, ut prius illa impleret, quam contra illa posset peccare; totum enim hoc beneficium est consentaneum dignitati ejus; simpliciterque fatendum est a primo instanti suæ sanctificationis fuisse confirmatam in gratia, quamvis non constet in eo instanti habuisse revelationem suæ perseverantiæ. Idemque de Joanne Baptista verisimile est; alioqui vel nunquam fuit confirmatus in gratia, si nunquam habuit revelationem, vel in uno tempore vitæ fuisset confirmatus in gratia, et non in alio, quamvis idem æque infallibile perseverandi auxilium toto tempore vitæ habuerit, solum quia in uno tempore habuit revelationem ejusdem doni, et non in alio. Quod sane videtur valde extrinsecum et accidentarium ad vim perseverandi, et ad confirmationem in gratia.

Sed superest objectio supra facta, quia hæc impotentia peccandi in persona creata et non vidente Deum, non potest conferri nisi per denegationem concursus ad efficiendum actum voluntatis malum. Quod videtur minus decens, cum ille concursus sit debitus voluntati creatæ; et aliunde est inutile, quia sine hoc medio potest Deus facere ut homo infallibiliter non peccet; in quo solo effectu est sola utilitas hujus doni. Imo, per illud medium privaretur justus illa laude: *Quia potuit transgredi, et non est transgressus,* Eccl. 31. Item sic confirmatis non posset dici illud Apocal. 3: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam;* neque Paulus de se dicere potuisset: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Respondetur, supposita illa sententia, vel concedendum esse hujusmodi confirmatis denegari concursum ad actum peccati, sive hoc sit denegando concursum immediatum ad ipsum actum voluntatis, sive præveniando et denegando intellectui concursum ad formandum judicium ex quo possit voluntas ad peccandum excitari, sive anticipando amplius, et avertendo omnia objecta et omnia phantasmata quæ possunt intellectum inducere ad hujusmodi judicium, quod facile potest facere Deus per Angelos bonos, et non permittendo malis ut sese ingerant. Nec video quid, in hoc genere beneficii, indecentiæ aut minoris decentiæ divinæ excogitari possit. Imo existimo illum concursum denegatum esse animæ Christi ex vi unionis aliquo ex dictis modis, vel alio perfectiori, si excogitari possit; et propter Christum existimo eodem vel simili esse Deum usum erga Vir-



ginem, propter singularem et eximiam dignitatem et puritatem ejus. De aliis vero nihil affirmo, quia, licet non inveniam repugnantiam, etiam non video rationem cogentem aut multum suadentem. Nec refert, quod possit Deus infallibiliter conservare hominem sine peccato absque hoc speciali dono. Quia, quo major fuerit elongatio a peccato, eo est major perfectio et gradus quidam specialis sanctitatis. Et ideo humanitati Christi non solum datum est ut nunquam peccaret, sed etiam ut peccare non posset; et in Beatis impotentia peccandi pertinet ad perfectionem status etiam. Et hoc satis est ut hoc donum non sit inutile. Eo vel maxime, quia semper fundatur in abundanti gratia, tum habituali, tum etiam actuali, qua homo inducitur ad perfectius operandum, semperque cum libertate quoad exercitium. Et ideo non refert quod sic confirmatus non sit capax illius laudis, quod potuerit transgredi et non sit transgressus; quia hæc non pertinet ad perfectionem simpliciter, cum nec Deus ipse, nec Christus homo, nec Beati illius laudis capaces sint, quos in hoc imitari melius est quam esse capacem illius laudis; et si quid est in ea commodi, perfectione aliarum gratiarum et bonorum operum compensetur. Et nihilominus tamen homini sic confirmato dici potest: *Tene quod habes*, vel quia non semper est certus de sua confirmatione, quo modo fortasse etiam Paulus de se loquebatur; vel si novit illam, etiam novit quod per talia media mandanda esset executioni; ob eamque causam poterat Paulus castigare corpus suum, etiamsi sciret se esse in gratia confirmatum. Nam quod ait, *ne forte*, non indicat necessario ignorantiam suæ confirmationis vel prædestinationis; neque etiam significat quod potuerit peccare, supposita Dei ordinatione, sed solum quod de se poterat peccare, et quod illud medium erat vel necessarium, vel convenientissimum, ut a peccatis cohiberetur.

*Non solum probabile non est, verum neque tutum est dicere, omnes qui salvantur, privari in hac vita pro aliquo tempore potestate peccandi.* — Nihilominus dico tertio non solum probabile non esse, verum etiam neque esse tutum dicere, omnes qui salvantur, privari in hac vita pro aliquo tempore potestate peccandi, in sensu declarato. Probatur primo, quia non est probabile dicere omnes salvandos confirmari prius in gratia pro aliquo tempore in hac vita. Quo enim testimonio aut revelatione id scitur, vel quo modo res

tam gravis et supernaturalis sine revelatione aut testimonio potest nisi temere affirmari? Secundo, quia non omnes qui damnantur, prius sunt aliquo tempore hujus vitæ obstinati in peccato, aut ita obdurati ut converti non possint etiam moraliter; ergo neque e converso, etc. Tertio, nam interrogo utrum ad perseverandum in gratia usque ad mortem cum effectu, necessarium sit privari prius pro aliquo tempore hujus vitæ potestate peccandi seu generali concursu ad actum peccandi, vel non; si dicatur hoc posterius, quo fundamento dici potest id facere Deum cum omnibus qui salvantur, cum necesse non sit omnes qui salvantur habere superabundantia auxilia, cum nulla de his sit præscripta lex, sed ex libera Dei voluntate pendeat? Si autem illud medium necessarium est, ergo quibus non datur salvari non possunt, quia deest illis medium necessarium. Dices illis imputari quod non acceperint. Sed contra, quia illud pendet ex sola voluntate Dei. Quæ est enim dispositio libera vel meritum quo possit homo a Deo infallibiliter obtinere tam singularem in gratia confirmationem, ut peccare non possit? Quantumvis ergo homo justificatus bene utatur gratia et auxiliis receptis, non propterea confirmabitur in gratia illo modo, nisi Deus speciali benevolentia hoc donare velit. Ergo quod homo non recipiat hoc donum, nunquam potest attribui culpæ illius, aut libero usui, vel non usui prioris gratiæ. Ergo si talis confirmatio esset necessaria ad consequendam salutem, revera non esset in potestate hominis salvari. Nullo ergo modo dici potest omnes qui salvantur, vel omnes electos et prædestinatos (hi enim omnes æquales in numero, seu iidem sunt, ut supra ostendimus) recipere in hac vita tale perseverantiæ donum, quo priventur pro aliquo tempore potestate peccandi, stante integro usu rationis. Probatur, quia tale donum non est necessarium ad perseverandum cum effectu, ut ostensum est; ergo nullo fundamento dici potest dari omnibus.

*Singulare donum perseverantiæ, in statu naturæ lapsæ, non reddit hominem in hac vita impeccabilem pro aliquo tempore, sed tantum facit non peccantem, etc.* — Ex quibus infero, et dico quarto, singulare donum perseverantiæ, quod in statu naturæ lapsæ requiritur ad perseverandum cum effectu in gratia usque ad mortem, juxta doctrinam Conciliorum et Augustini in dictis libris de Dono persever.

et de Correctione et gratia, et aliis plerisque, non reddere hominem in hac vita impeccabilem pro aliquo tempore, sed tantum facere non peccantem, non obstante potestate peccandi, in eodem homine et pro eodem tempore permanente. Probatur primo ex dictis, quia talis impeccabilitas non est necessaria ad salutem, nec est in potestate hominis illam obtinere, ut declaratum est. Secundo probatur, quia hæc impeccabilitas conferri non potest homini puro et non videnti Deum, nisi denegando illi concursum generalem necessarium ad actum peccandi; sed dici non potest denegationem hujus concursus includi necessario in dono perseverantiæ, alioqui non posset gratia naturam perficere, nisi invertendo totum naturæ ordinem, et negando humanæ naturæ naturalia auxilia ei suo modo debita. Quapropter non satisfit convenienter objectioni factæ ex locis Augustini de Dono perseverantiæ et de Correctione et gratia, pro auxilio de se efficaci et determinante voluntatem, respondendo Augustinum illo loco ponere quidem tale auxilium de se efficax ac prædeterminans ad perseverandum, non vero ad singulos actus, et ad specificationem, non vero ad exercitium actus; non (inquam) hæc responsio satisficit. Primo quia, licet respectu eorum quibus hoc donum datur, in hoc habeat minus incommodum, quod non tollit absolute libertatem singulorum actuum, quam plane tollit determinatio physica ad singulos actus, tamen respectu eorum quibus non datur, habet idem inconveniens, quia relinquit illos sine medio necessario ad ultimam salutem, et sine potestate libera obtinendi illud, quia nihil facere possunt quo auxilium sic de se efficax ad perseverandum a Deo obtineant, ut declaratum est. Secundo, non satisficit illa responsio, quia etiam respectu eorum quibus tale donum datur, oportet ut includat denegationem concursus generalis ad actus contrarios negativis præceptis, et prædeterminationem physicam ad actus necessarios ad implenda affirmativa præcepta pro tempore pro quo obligant, si antea impleta non sint; vel ad evitandam prædeterminationem physicam, necessario dandam esse specialem providentiam efficaciter inducentem hominem ad exequenda præcepta affirmativa, anticipata (ut sic dicam) observatione illorum, id est ante præcisum tempus obligationis in quo jam esset discrimen peccandi, nisi actus fieret, conjungendo simul cum hac providentia denegationem concur-

sus necessarii ad actum malum contrarium, ut sic maneat voluntas prædeterminata ad non peccandum quoad specificationem. Hæc autem omnia multiplicare et affirmare esse necessaria ad perseverandum in gratia in statu naturæ lapsæ, non solum voluntarium est, sed etiam absurdissimum, ut ex dictis satis constat. Quare verisimile non est hunc fuisse sensum Augustini in citatis locis.

*An sit in libera potestate hominis justii habere donum perseverantiæ.* — Dico ergo quinto donum perseverantiæ, simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia in statu naturæ lapsæ, tale esse ut sit in libera potestate hominis justii habere illud. Probatur primo ex doctrina Concilii Tridentini, sessione sexta, capite decimo tertio, ubi de perseverantiæ munere ait: *Quod quidem aliunde habere non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet.* Et subjungit ut de hoc dono nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: *Tamen* (inquit) *in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum ita perficiet, etc.* Igitur quamvis justus non possit absoluta certitudine sibi perseverantiæ polliceri, tamen conditionata certitudine sibi eam promittere seu sperare potest, scilicet, quia si per eum non steterit, per Deum non stabit. Hoc autem ipsum, scilicet ut non stet per hominem, seu non deesse gratiæ Dei, est positum in libertate hominis; ergo etiam pendet ex eadem libertate perceptio doni perseverandi. Secundo probatur, quia alias non esset in potestate hominis salvari, quia non esset in potestate hominis perseverare. Sequela patet, quia id tantum est in potestate hominis quod positum est in ejus libertate. Ergo si non esset positum in potestate hominis habere perseverantiæ auxilium, profecto nec perseverantia ipsa, nec salus esset in potestate hominis, ac proinde omnes qui damnantur, carere auxiliis necessariis, ac proinde auxiliis etiam sufficientibus ad salutem.

Tertio probatur assertio, declarando duos modos quibus hoc donum pendere potest ex libertate hominis, quos vocare possumus antecedentem et concomitantem. Duo enim requiruntur ad perseverandum. Primum est auxilium præveniens ex parte Dei; secundum est actualis effectio operis necessarii ad salutem cum tali auxilio. De primo auxilio cum præcedat illud bonum opus propter quod



datur, clarum est non pendere quoad suam existentiam, vel ut homini donetur, ex illo opere seu ex futuro usu libero ejusdem auxilii, quia causa non pendet ex effectu suo, nisi forte in genere causæ finalis, de quo nunc non agimus. Nihilominus potest illud auxilium et collatio ejus pendere ex antecedenti usu liberi arbitrii in aliquo priori opere præcedente ad collationem talis auxilii. Probatur primo, quia potest dependere negative, id est non ponendo obicem, seu non deserendo Deum, ut ex dicto testimonio Concilii Tridentini constat. Nam obex non ponitur nisi per peccatum mortale, quod sine sufficienti libertate non committitur, et consequenter nec sine auxilio sufficiente ad illud vitandum peccatum, quod potest esse obex talis auxilii; unde, si ad illud vitandum fuerit necessarium aliud auxilium præveniens, illud semper præsupponetur datum et sufficiens, et per hominem stabit quominus efficax sit. Secundo, potest etiam positive hoc pendere ex libero arbitrio, id est, ex aliquo priori opere, quo a Deo promereatur et impetret tale auxilium, bene operando vel orando per propria auxilia: quia (ut Tridentinum dixit, eadem sess., cap. 11): *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Ubi agit de homine jam justificato, de quo nos etiam loquimur; nam de illo certius est posse impetrare et mereri a Deo ulteriora auxilia, non solum necessaria, sed etiam uberiora, unde D. Thomas in 1. 2, quæst. 114, art. 9, quamvis neget posse justum mereri de condigno donum perseverantiæ, tamen solutione ad primum fatetur posse illud impetrare a Deo. Et Cajetanus in commentario, addit posse hoc donum pendere a dispositione recipientis. Et in hoc insinuant posse etiam dari in homine justo meritum aliquod imperfectum perseverantiæ, sive vocetur meritum impetratorium, sive de congruo. Sub qua voce illud admittit Vega, libro duodecimo in Tridentinum, capite ultimo, et quæstion. decima septima de justificatione. Habetque fundamentum in Augustino de Dono perseveranti, capite sexto, dicente hoc Dei donum suppliciter emereri posse. Et nos alibi ostendimus in homine justo et viatore nunquam separari impetrationem, et supernaturalem dispositionem ab aliquo merito, saltem de congruo.

Quocirca Semipelagiani non reprehenduntur ex eo solum quod asseruerint posse homi-

nem justificatum mereri aliquo modo speciale perseverantiæ donum, sed vel quia negaverunt indigere illo, vel (quod ego magis existimo) quia putaverunt posse hominem solis viribus arbitrii illud aliquo modo mereri, et quoddam illius initium a se habere absque adjutorio gratiæ, desiderando, quærendo et petendo suis tantum conatibus; nam hoc plane sensu damnatur illa sententia in Concilio Arausicano et ab Augustino supra, quia multum tribuebat homini unde posset gloriari sine gratia Christi. At vero totum hoc cessat quando dicimus posse justum, per actus quos facit per priorem gratiam prævenientem simul cum adjuvante et sanctificante, mereri, saltem de congruo, et impetrare posteriora auxilia gratiæ etiam prævenientia et efficacia ad efficiendos novos actus, quibus in gratia perseveret; quia per hoc non habet unde in se, sed in Domino gloriari.

Alio tandem modo pendet perseverantia a libero arbitrio concomitanter, et similiter pendet ipsum perseverantiæ donum quoad suam efficaciam, seu quatenus non solum dat posse, sed etiam actu perseverare. Probatur, quia hoc donum non solum includit auxilia prævenientia et excitantia, sed etiam cooperantia et actu adjuvantia; habere autem actuale adjutorium et cooperationem Dei pendet semper aliquo modo ex libero arbitrio simul influente, tanquam ex conditione sine qua non datur, seu tanquam ex concausa ipsiusmet Dei in illo opere, ut constat ex dictis alibi de auxilio concomitante; ergo. Item, hoc donum non solum includit auxilia Dei, ut sic, sed etiam actus ipsos supernaturales qui per auxilia fiunt, nam illi etiam sunt dona Dei, quæ Deus etiam præbet inimicis suis, ut Patres loquuntur. At vero hi actus essentialiter pendent a libero arbitrio; nam sunt vitales et liberi, et subjecti obligationi præceptorum, unde habent ut ad eorundem præceptorum observationem, atque adeo ad formalem perseverantiam pertineant; ergo hoc donum actu perseverandi includit cooperationem liberam nostri arbitrii. Hac ergo ratione dicitur hoc donum concomitanter pendere a libero arbitrio, non quoad meritum ejusdem doni, sed quoad executionem ejus.

Tandem est hoc necessarium ut, simpliciter loquendo, sit in potestate hominis perseverare, priusquam actu perseveret, vel etiamsi non actu perseveret; quia solum illud est in potestate hominis, quod ab ejus libertate pen-

det. Est etiam hoc necessarium ut ipsum non perseverare refundatur in defectum et negligentiam liberi arbitrii, et non in defectum gratiæ necessariæ ad perseverandum. Aliud est enim hanc gratiam offerri, aliud actu dari; offertur enim etiam illis qui actu non perseverant, quamvis eis actu non detur, nam quod offeratur, non pendet ex consensu libero quo perseveratur, antecedit enim illud, sed pendet ex voluntate et providentia Dei, quæ postulat ut paratus sit ad juvandos omnes justos, quantum necesse sit ad observationem mandatorum. Quod autem tale donum actu detur, pendet ex cooperatione ejusdem arbitrii, ut declaratum est. Imo eadem ratione dicere possumus quod, licet justus non possit mereri de condigno, ut actu ei detur perseverantiæ donum, quia hoc semper pendet ex libero usu libertatis ejus, posse tamen mereri de condigno per actus factos ex gratia, et gratia formatos, ut sibi offeratur tale donum, seu ut Deus non deserat ipsum, priusquam deseratur ab ipso; quod est dicere, quamvis non possit homo mereri de condigno auxilium efficax perseverantiæ, posse tamen mereri auxilium sufficiens ad perseverandum, et ita sufficiens, ut futurum etiam sit efficax, si per hominem non steterit; quia omnia illa auxilia, quibus post acceptam primam gratiam juvatur homo ad consequendam beatitudinem, possunt cadere sub meritum de condigno ejusdem justitiae, teste divo Thoma 1. 2, quæst. 114, articul. 8, et 2. 2, quæstion. 83, articul. decimo quinto ad secundum. Estque hoc maxime verum de his auxiliis quæ ad hunc finem consequendi beatitudinem necessaria sunt; hujusmodi autem sunt auxilia necessaria et saltem sufficientia ad perseverandum, ita ut quæ fuerint excitantia, actu dentur, si homo non posuerit impedimentum; adjuvantia vero saltem offerantur, ut actu dentur si per hominem non steterit. Hoc igitur modo actualis perseverantia et est in potestate hominis, et ex bono usu libertatis ejus cum gratia pendet.

Dices: perseverantia hæc de qua agimus includit conservationem gratiæ usque ad mortem; includit ergo ipsam mortem tanquam terminum viæ; at mors regulariter non pendet ex voluntate hominis, sed ex aliis causis, et specialiter mors justorum et electorum pendet ex singulari providentia Dei præordinantis in unoquoque mortem in illo tempore, quod opportunum esse prævidit ad consequendum terminum gratiæ et gloriæ ad quam erat electus; ergo dici non potest quod

perseverantiæ donum pendeat ex recipientis libertate. Unde videmus non solum parvulos, sed etiam plures adultos perseverare sine novo usu libertatis suæ, præter illum quem in prima justificatione sua habuerunt, ut patet in his qui statim post baptismum receptum moriuntur; et idem est de omnibus baptizatis perseverantibus in peccato usque ad mortem, et in fine vel per contritionem, vel per absolutionem justificantur, et statim moriuntur. Imo interdum contingit justificari absque usu rationis per Sacramentum Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis et Eucharistiæ, supposita aliqua attritione quam libere prius habuerant. Multis denique perseverantia datur per solam mortem subitanam et casualem, ut rapiantur prius quam occasio mutet mentem eorum, quod non pendet ex ipsorum, sed ex sola Dei voluntate. Ergo saltem non est in universum verum perseverantiam pendere ex libero recipientis arbitrio. Unde Augustinus, libro de Dono persever., capite decimo septimo, inde maxime probat perseverantiam esse donum Dei, quia tempus mortis pendet ex voluntate Dei. Videte (inquit) a veritate quam sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.

Respondetur aliquid pertinere ad perseverantiam quasi positive, vel, ut sic dicam, inclusive; aliquid vero negative et exclusive. Priori modo pertinet ad perseverantiam bene operari, et servare mandata eo tempore quo vivitur post gratiam acceptam, in qua perseverandum est. Et quoad hoc diximus pendere perseverantiam ex bono et libero usu gratiæ; supponimus tamen et hominem vivere aliquo tempore, in quo possit obligari præceptis, et libere operari, atque adeo loquimur de ordinario modo perseverandi in gratia; non enim in dubitationem cadit quin possit Deus præoccupare hominis voluntatem, vel per mortem, vel per amentiam, quæ daret ab ultima justificatione usque ad mortem. Sed illa non est perseverantia (ut ita dicam) humana et positiva, id est per exercitium humanorum actuum, sed est mere naturalis per solam conservationem gratiæ ex parte Dei sine ulla positiva cooperatione ex parte hominis, imo etiam sine potestate cooperandi, sicut etiam est sine potestate peccandi. Donum ergo illud perseverantiæ, quod supponit vel includit vitam rationalem hominis,